

I. N. D. E. D. N. J. C.
DISSERTATIO
DE
**ANTHROPOPATHIA
STYLI SACRI,**

una ostendens

S. Scripturam non loqui secundum
Opinionem Vulgi,

Quam

IN ALMA VIADRINA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

AUGUSTO & SERENISSIMO REGIO PRINCIPE ac DOMINO.

DN. FRID. WILHELMO,

REGNI BORUSSIÆ, AC ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HEREDE &c. &c..

PRÆSIDE

JOH. CHRISTOPH. BECMANO,

SS. THEOL. D. & P. P. O. FACULTATISQVE SUÆ
AC UNIVERSITATIS SENIORE,

Patrono suo aeterno pietatis cultu devenerando,

Ad d. XIV. Martii A. O. R. M DCCXI.

IN ACROATERIO MAJORI

Placido Eruditorum Examini subjicit

FRIDERICUS ADOLPHUS MARESIUS,

Berol. March.



FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.

Coll. diss. A

7, 56

22-

a. VII. 56.



**DISSERTATIO
DE
ANTHROPOPOPAT-
THIA STYLI SACRI.**

**CAPUT I.
DE ANTHROPOPATHIA
IN GENERE.**

- | | |
|---|--|
| <i>I. Definitio Anthropopathiæ e-
jusq; discrimen à Visionibus,
Verbis Generalibus, Compa-
rativis, Allegoriis.</i> | <i>III. Συγκατάθεσις Patrum: E-
volutio Loci II. Sam. VII. 29.</i> |
| <i>II. Rationes admissæ à Deo An-
thropopathiæ.</i> | <i>IV. Scriptores de hac materia.
V. Cuncta hujus argumenti mo-
do Deo digno capienda.</i> |

I.

ARgumento nostro ut plenius satisfiat, initio generalia quædam de *Natura & usu Anthro-
popathiæ* præmittemus, inde quæ & qualis illa *Anthropopathia Styli Sacri* in specie sit, pluri-
bus visuri. *Anthropopathiæ* nomine igitur apud Theologos veniunt *Tropica illa ac præcipue Meta-
phorica & Figurata loquendi genera*, quibus quæ hominibus

Aeorum-

CAPUT I. DE ANTHROPO-
eorumque actionibus propria sunt, Deo Divinisque actionibus
tribuuntur. Dicuntur I. *Loquendi genera*, in discrimen
à Visionibus seu oculis corporeis, seu intellectui soli
objectis: Quæ licet signa sint præsentis cuiusdam
specialis Virtutis, aut Gloriæ Divinæ, non tamen
Verba, aut loquendi genera, sed res sunt intellectui
humano allucentes, & non quidem Deum, huic enim
nihil assimilari potest, sed humano more loquendi
aliquid de Deo repræsentantes. II. Dicimus *Tropica*
loquendi genera, h. talia, quibus revera aliquid de Deo
prædicatur, sicut Tropi semper aliquid de altero præ-
dicant, licet improprie, in discrimen (1) à *Verbis* &
Propositionibus Generalibus: Non enim ideo quia Vox
generalis vel æquivoca est, ad Ἀνθρωποπάθειαν vel Meta-
phoram pertinet. E. g. *Deus est Fons vitae* Ps XXXVI. 10.
Inebriabuntur. v. 9. Terminus Fontis enim generalis
est, & significat originem, non vero specialiter ori-
ginem tantum Aquarum: *Inebriari* generaliter est
repleri cum voluptate, specialiter repleri potu ge-
neroſo. (2) *A Propositionibus Comparativis*, quæ
alterum cum altero quidem comparant, sed
non ideo de eo prædicant. Sic Deus comparatur e-
brio, seu potius vires recolligenti Ps. LXXIX. 65. *Ex-
citatus est tanquam potens crapulatus à vino*, sed non dici-
tur Ebrius. Et *Hos. XIII. 8.* DEUS minitatur: *Ego*
ero eis quasi Leæna, sicut Pardus in via Assyriorum. Oscur-
ram eis quasi Ursa raptis catulis; Sed ideo se Leænam, Par-
dum, Ursum haut vocat. Adde *Hoseæ V. 14.* Et eodem
Hos. V. 12. *Ero quasi tinea Ephraim & quasi putredo domini*
Juda, se contemni ab his innuens, nec tamen ideo
Tineam aut Putredinem se vocat: Quanquam in Lu-
theri versione id absolute possum sit: Ich bin dem
Ephraim eine Motte/ und dem Hause Juda eine Made.
Aliud

PATHIA IN GENERE.

Aliud nimirum est Res cum Rebus comparare, aliud comparatas vel ad comparandum aptas de se invicem prædicare. Prius salva proprietate fieri potest, at posterius nunquam sine Tropo est. (3) In specie ad differentiam ab *Allegoriis*, quæ in eo ab Anthropopathia cunctisque impropriis Locutionibus Sacris differunt, quod hæc licet impropriæ, nihilominus Sensum Literalem S. Scripturæ, seu talem Sensum, quem verba seu proprie seu improprie sumpta præ se ferunt, contineant; Allegorix vero non sensum ipsum contineant, sed eundem similibus applicent, vel similia cum eo conferant. Quomodo Paulus de Historia duarum Abrahæ Uxorū duorumque earum Filiorum ἀπειπενταληγορία, inquit, *Hæc per Allegoriam dicta sunt*; Hæc enim sunt duo Testamenta: *Unum quidem à monte Sina servitutem generans*, quæ est Agar. Gal. IV. 24. Simile ἀπειπενταληγορίαν Joh. III. 14. *Sicuti Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*. Christo nimirum ex Serpentis exaltatione persimilitudinem quandam exaltationem sui colligente: Quiem tamen ideo alias Serpentem dici, aut Serpentem de eo prædicari, non autumamus. Nec male scripsisse Gregorium II. P. M. opinamur, Serpentem illum æneum non fuisse, οὐ μὴ χαλκωμα τίγιασμένου ὑπὸ Γεου διὰ Γῆς Τότε αρρώσιούτας καὶ δακνομένος ὑπὸ τῶν ὄφεων, οὐα δειχθῆ θεῖς λαοῖς ὁ ὑπεβαλὼν Γῆν ἀμαρτίαν εἰς Γὸν πρῶτον πλάσμα Γὸν πλασθὲν ὑπὸ Γεου τὸν Αδὰμ καὶ τὴν Εὔαν, αὐτὸν τῶν ἀμαρτώλων εἰς τασιν κατέστηε. *Nisi æramentum à Deo consecratum, propter eos qui tum ægri erant & à serpentibus læsi, ut populis demonstraretur is qui primo figmento à Deo formato Adamo & Eveæ peccatum suggesserat, ipsum in medelam peccatorum constituit. Epist. I. ad Leonem Isaurum Imperatorem.*

A 2

T. III.

T. III. Concil. Bin. f. 459. Quæ etiam Johannis d' Espagne sententia fuit Schiboleth f. 79. ex Col. II. 14. 15. collat. cum Rom. VI. 6. Impugnati quidem eo nomine ab Autore der Untersuchung etlicher Derther der H. Schrifft f. 31. & seqq. Sed an cum pondere aliquo Lectoris judicio relinquimus. Unde & Anthropopathia cunctaque illa Tropica loquendi genera certos suos limites habent, intra quos consistunt, Allegoriae vero extra eas, quas S. Scriptura habet, tanquam fœtus humani ingenii in infinitum exporriguntur, nec certi aliquid Lectori relinquunt, quod in progressu harum Thesium c. II. §. 10. pluribus videbitur III. Dicuntur etiam præcipue Metaphorica loquendi genera; Nam licet modus prædicandi similia de similibus Metaphora sit, humanaque de DEO prædicata rationem Metaphoræ habeant, fieri tamen potest, ut hujusmodi loquendi genera ratione originis aliam quoque Tropi naturam induant: Sic Dextra DEI auxiliatur Israeli. *Pf. XLIV. 4.* est Metaphorica locutio; Homines enim per dextram robur suum exerunt. Sed Israe lis jactantia, *Manus mea me redemit Iud. VII. 2.* non est Metaphorica, sed Synecdochica locutio Partis pro toto; Adeo ut quod Synecdochicum ratione hominis est, Metaphoricum sit ratione DEI, quippe omnium partium expertis. IV. Denique etiam Figurata loquendi genera, in discrimen à simplici ac rebus adæquato loquendi ac scribendi modo, de quo sequenti Cap. II do toto pluribus.

§. II.

DEUS igitur licet non sit *Homo aut Filius Hominis* Num. XXIII. 19. nihilominus sicut hominem similitudine sua, seu recepto in Verbo ejus loquendi modo,

PATHIA IN GENERE.

5

modo, Imagine sua donavit, ita & Ἀνθρωποπάθειαν hu-
jusmodi seu similitudinem Humanarum Rerum &
Actionum per S. S. Prophetas & Apostolos suos in se
transferri amavit. Idque (1.) ut imbecillitati non
tantum Intellectus Humani, qui tanquam Corpori
alligatus corporeis ejusmodi quam maxime affici-
tur, sed in primis (2.) Imperfectioni Sermonis Hu-
mani consuleret, qui cum saepe proprii loquendi
modi desint, per similitudines ejusmodi supplet, quod
propriis & nativis verbis efferre nequit, DEO ita
de se ipso dispensante, & quemadmodum mater cum
infante lallat & tertiata verba profert, infirmitati
nostræ condescendente. *Alsted. Theol. Schol. S. 1. c. 28.*
Et ut Damascenus loquitur *Orthod. Fid. L. 1. c. 19.*
Cum nos ipsi sumus crasso carnis indumento circumdati, nos
minime possemus divinas & subtilem immateriales DEI
operationes aut intelligere aut eloqui, nisi imaginibus & for-
mis & significativis nostro more utamur signis. Quo for-
san etiam referentur illa Augustini Serm. XL. de Tem-
pore: Dico justum DEUM, quia in Verbis humanis nihil
melius quo id dicimus, invenio: Nam ille est ultra justi-
tiam: Dicitur paenitere DEUS, dicitur nescire DEUS,
Ideo tamen & ad ista verba salubriter scriptura descendit, quæ
& tu exhorres, ne illa quæ magna putas, satis digne dicta
arbitreris. Et mox: Ut quomodo istud non accipit secun-
dum consuetudinem loquentium, sicut solent Homines paenite-
re: Sic & illud quod dicitur, Justus supereminentiae ipsius
non competere intelligat: Quamvis scriptura hoc bene posue-
rit, ut per qualiacunque verba gradatim animus ad id quod
dici non potest perducatur. Sed & (3.) id factum est
una, ut Honorem Corpori Humano adderet, qui sane
maximus est, DEUM nullius indignum & omni suf-

A 3

ficien-

CAPUT I. DE ANTHROPO-
 ficientissimum non eo minus id veluti hospitium
 Imaginis suæ non tantum constituisse, sed & deno-
 minationes ab eo partibusque ejus in se transferre pas-
 sum fuisse. Addimus (4) DÉUM ita præludere vo-
 luisse manifestationi Filii sui in Carne, ut qui se i-
 plum in Carnem nostram se demisurum promise-
 rat, hoc Ἀρωποποθείας argumento certi essemus,
 revera id ab ipso expletum iri. Ideo & Zanchius ob-
 servat, multa hujusmodi Corporalia de DEO prædica-
 ri, non tam figurate respectu divine Essentiae, quam proprie
 respectu Filii, qui Carnem sumpturus erat, & hæc Corpora-
 lia in sua persona operatus; Et exempli loco affert Ps.
LXIX. 19. *Ascendisti in altum, captivam duxisti Capti-
 vitatem, quod Ephes. IV. 8.* Christus fecisse dicitur,
 cum Corpore suo ascendit in altum. Rursus Ps.
LXXIX. v. 1. Assaph in persona DEI loquens ait:
*Attendite, Popule mi, Legem meam, aperiam in parabolis
 Os meum.* Qnod respectu DEI incorporei per Ἀρω-
 ποποθείαν accipiendum, sed respectu DEI in Carne
 manifestandi vere & proprie. Ideo Matth. c. XII. 34.
 cum narrasset, quæ per parobolas docuisset JESUS,
 nempe ille qui in persona Assaphi locutus ante fuerat,
 subjicit hæc verba: *Hæc omnia locutus est JESUS per
 parobolas ad turbam & absque parabolis nihil locutus est
 eis, ut compleretur quod dictum fuit per Prophetam dicentem:
 Aperiam in parabolis Os meum, eructabo occultata à jactis
 fundamentis mundi.* Sicque de multis aliis Scripturæ
 Locis dicendum esse, ea respectu DEI incorporei
 quidem figurate esse intelligenda, sed respectu DEI
 ejusdem in carne manifestandi & postea in manifes-
 tati, quia Prophetice dicta sunt, sic etiam proprie de
 Christo esse interpretanda. *De Nat. DEI I. I. c. IV.*

§. 9.

§. 9. Nec improbandam esse hanc observationem
judicat Gerhard. Loc. Cumm. de Natura DEI §. 74.

III.

Patres, ac præcipue Chrysostomus, Συγκατάβασιν vocant, quasi dicas condescensionem, qua superior ac validior inferiori ac debiliori se accommodat, quorum verba in progressu videbuntur. Hebræi Derech Bene Adam, Viam Filiorum Hominis, quod est notante Heinso Aristarch Sacr. f. 26. & ex eo Glassio Rhet. Sacr. Tr. I. c. 7. απὸ τῶν ἡμῶν παρόποιων τῷ θεῷ τὰς ἐνεργείας ονυματίζειν. Eodemque facit Davidis illud II. Sam. Sam. VII. 19. Ubi cum profunda admiratione promisorum non sibi tantum, sed & familiæ suæ factorum; *Ista est lex Adam*, inquit, *Domine DEUS*, ut Vulgata habet: *ὅτος δὲ οὐ νόος τῷ αἰθρῷ πάτερ*. LXX. *Ista est lex Hominis*, *Das ist die Weise eines Menschen*. Clarius Junius ac Tremellius: *Locutus de Familia servi tui in longinquum, idque ratione humana*. Pisc. Und dasselbe nach der Menschen weise / h. familiariter mecum agis, ut solet homo cum homine. *Jun. nott. in h. l.* Ganz freundlich wie die Menschen / die ein ander gutes gönnen / mit einander zu reden pflegen. Pisc. Herr du handelst mit mir so freundlich / als wann du meines gleichen wärest / und wie ein Mensch mit dem andern handelt: Oder wie die Menschen pflegen mit ihrem Hause / Gute und Nachkommen Verordnung zu thun. Andere: Nach einer Unterweisung der Menschen die sehr freundlich und gemeinsamlich / wie Menschen pflegen zu reden und sie zu lehren &c. Tossan. in h. l.

IV.

Nec defuerunt Viri diligentissimi, qui in tractando hoc argumento versari amarunt, qualis seculo

V. existi-

V. extitit *Eucherius Episcopus Lugdunensis*, elegans sententiis & ornatus in verbis, ut *Isidorus* de eo judicat, de *Scr. Eccl. c. XV. Libri Formularum spiritualis Intelligen-
tiæ Capite I. de Divinis Nominibus &c. c. II.* De his quæ appellantur *Membra Domini*, vel de eo significantur. Quem etiam Theologiæ suæ Symbolicæ inseruit *Maximilianus Sandæus Theol. Symbol. f. 664.* adductis compluribus ejusdem elogiis. Et ante eum *Flacius Clavi* suæ *S. Scripturæ P. I.* Sed primo Capite, quo præcipua hujus materiæ continentur, mutilum. Porro incertus Autor *Epistole de his, quæ DEO in Scri-
pturis Sanctis attribuuntur*, seu ut Erasmus vocat, *de membris DEI*, inter *Epistolas Hieronymo* fallo ascriptas *Epist. XV.* Et qui hunc exscripsit, *Autor Libri de Es-
sentia Divinitatis*, hinc inde insertis & ex parte in fi-
ne additis Commatibus nonnullis, nec magnopere ad rem facientibus, quem *Erasmus* suspicatur *Hugo-
nem Victorinum extitisle T. IV. Opp. Aug. f. 966.* Qui omnes tamen multiplicatis Allegoriis ingenio suo potius indulserunt, quam Anthropopathiam explicuerunt. Brevius de eadem egerunt *Isidor. Hispal. Sentent. L. I. c. V. Joh. Damascenus Orthod. Fid. L. I. c. XIV. XV.* Inter recentes sunt *Maximil. Sandæus in Grammatico Christiano Comment. XVII.* qua figurata quælibet tam affectus, quam membra experientia DEO non nisi tropice convenire, longa exemplorum inductione sed demonstrasse scribit *Theol. Symb. L. I. Comm. II. f. 12.* Amand. Polanus *Synt. Theol. L. II. c. XXXV. tot. & com-
pendiosius Alsted. Theol. Scholast. S. I. c. XXIX. E. Francofurtanis nostris *Christoph Pelargus Explic. Libr. I. Joh. Damasceni f. 20. & seqq.* Et in primis Doctissimus Vir *Salomon Glassius Rhetor. Sacrae, quæ Philologiæ Sacrae*
*eius**

PATHIA STYLI SACRI.

9

ejus Liber V. est. Tr. I. c. VII. de Metaphoris ab Homine ad DEUM translatis, quod genus Αὐθωνοποιεῖσαν vocant. Qvibus accedunt Indicum Sacrorum Scriptores, Flacius in Clavi Scripturæ, Tuscanus Indice Biblico, Ravanellus Biblioth Sacra, Titulis ad singula Membrorum Humanorum Nomina pertinentibus: Quorum vestigiis insistemus, insertis tamen monitis hinc inde oblatis, operam vero præcipue daturi, ut Sensum literalem sectemur, misis Allegoriis, quas veteres passim cum eo in hisce confundere cuilibet insipienti facile patebit.

V.

De Universis tamen ac singulis tenendum, quod Eucherius generaliter monet, postquam DEUM Omnipotentem, Invisibilem, Incorporeum, Immensum, Incircumspectum, Inlocalem, Immutabilem demonstraverat: *Ubiunque autem, subjicit, S. Scriptura sparsim per Divinos Libros in DEO motus animæ seu humana membra describit, id est Caput, Capillos, Oculos, Palpebras, Aures & cætera Membra, sive motus Animæ, id est, iram, furorem, oblivionem, pœnitentiam, recordationem, & alia his similia, non carnaliter juxta historiam, ac recte intelligentibus scienda sunt, sicut à Judæis & plerisque hereticis carnaliter sapientibus, qui DEUM corporeum atque localem opinantur, sed spiritualia omnia de eo intelligenda & confitenda sunt; Si quis DEO humana membra seu motus animæ more humano inesse credit, procul dubio Idola fabricat in corde suo.* Dicit omnia de DEO Spiritualia intelligenda esse, vel potius spiritualiter, Deo nimis convenienti modo, qui Spiritus perfectissimus est: Unde & notissimum apud Theologos axioma: *Quæ de DEO dicuntur αὐθωνοποιεῖσαν, à nobis intelligenda θεο-*

B

πεπῶς

CO CAP. II. DE ANTHROPO-
πρεπῶς, h. modo DEO digno & summa perfectioni ejus congruo. Λαλῆμεν πνευματικοῖς πνευματικὰ συγχρίνοντες, *Spiritualibus spiritualia conjungentes 1. Cor. 11. 13.* Ideo & in tanta varietate tum Partium, tum Actionum Humanarum DEO tributarum Partes quidem magis conspicuas & Organa tum sensuum, tum operacionum præcipuarum Hominique propriarum sparsim de DEO prædicari legimus, sed nusquam Ventriculum, Hepar, Lienem, Renes, Intestina, utpote Organa Nutritionis & remedia potius Imperfectionum, quæque ad actiones humanas per se non pertinent, adeoque minime DEO conveniunt.

CAPUT II. DE ANTHROPOPATHIA STYLI SACRI IN SPECIE.

- I. *Verba ineffabilia à Paulo in Paradiso audita.* rabolas.
- II. *Natura Styli Humani, Usus frequentissimus Figurati sermonis apud vulgum*
- III. *Cur Deus Stylo Humano usus fuerit? Nimia multiplicatio Figurarum in Libris Rheticis.*
- IV. *Varietas hujus Styli propter Ingeniorum diversitatem.*
- V. *Modus loquendi per pa-*
- VI. *Duo extrema hac in parte vitanda.*
- VII. *An S. Scriptura loquatur secundū opinionē vulgi: Explicatio huj9 Quæstionis.*
- VIII. *Rationes Negandi.*
- IX. *Objectiones variæ cum Responsionibus.*
- X. *An & quo sensu S. Scriptura loquatur Allegorice?*
An Historia Creationis aliæve Historiæ Iesus allegorice capienda?
- XI.

XI. Quo in loco sensus Alle- XII. Monitum exemplo
goricus Ecclesiæ Roma- | Anthropopathiæ DEUM
næ habendus. | sequendi.

I.

Jamque cum *Anthropopathia* non tantum *Tropicas*, sed etiam *Figurata* loquendi genera contineat, adeoque non in solis Verbis Simplicibus, sed & in eorum constructione cum aliis integrisque sententiis se exerat, dicendum, eandem in toto Stylo Sacro elucere, divinamque illam Συγκαταβασιν tantam esse, ut DEUS toti sermoni nostro se accommodare non deditatus sit: Quem alias extra dubium est, sicut omnia exactissime novit, ita & verbis naturæ ipsorum non modo convenientibus, sed & intime eam repræsentantibus, adeoque propriis efferre posse, sed quæ captum humanum longe superant: Quomodo & Paulus in Paradisum raptus audivit verba ἀρχην, αὐτὸν ἀνθρώπῳ λαλεῖν, ineffabilia, quæ non licet hominibus loqui, II. Cor. XII. 5. h. non res, uti vox hæc subinde ab Hebræis accipi solet, sed vere Verba, rebus vel pure cœlestibus, vel ad doctrinam & statum Ecclesiæ pertinentibus adæquata, sed intellectum nostrum adeoque & humanū loquendi genus transcendentia.

II.

At *Stylus Humanus* maxima sui parte ejusmodi proprietate ac simplicitate vocum ac sermonis caret, tum ob verborum defectum, tum ob debilitatem intellectus, qui sicut apprehendendis rebus in tota natura sua par non est, sed pleraque earum per partes, proprietates, similia, subinde & opposita earum concipit, sic nec efferendis aptus est, nisi per ejusmodi notiones: Unde innumeri illi Tropi ac Figuræ,

B 2

CAPUT II. DE ANTHROPO-
 guræ, quæ nihil aliud sunt, quam varii modi con-
 ceptus nostros de rebus non per se, sed per aliud ex-
 primendi, ausimusque dicere, paucas periodos in
 Sermone Humano inveniri, quin Tropico vel Fi-
 gurato loquendi genere aliqua ex parte constent.
 Estque hujus rei evidens testimonium in Sermone
 Vulgi communi, quod licet Rhetorici Artificii pror-
 sus ignarum sit, si quis tamen vel unius horæ spacio
 colloquia licitantium, vendentium, ementium, ri-
 xantium, vel alias familiariter colloquentium at-
 tenderit, eos naturali quodam ductu adeo *πηλοπίζειν*,
 Troposque ac Figuras dictionum ac sententiarum
 fundere deprehendet, ac si exquisitioris cujusdam
 Systematis Rhetorici doctrinam hausisset. Et e-
 contrario in altera vita forsan hac varietate loquen-
 di haut opus erit, quoniam omnia intellectui coram
 allucebunt.

III.

Deus igitur in Sacra Scriptura loquens, ut
 consulat Humanæ imbecillitati, *Stylo Humano* utitur,
 h. more Hominum Tropis ac Figuris passim effert,
 quæ docenda, monenda, jubenda sunt, seu ut Hilari-
 us loquitur in Ps. CXXVII. Secundum Intelligentiæ no-
 stræ consuetudinem naturamque se temperat, communibus re-
 rum vocabulis ad significationem Doctrinæ & Institutionis a-
 ptis: *Nobis enim, non sibi loquitur, atque ideo nostris utitur*
in loquendo. Et Augustin. de Trin. L. I. c. 12. Non
 aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in Consuetudine hu-
 manæ non inveniatur, quia ubique hominibus loquuntur.
 Nec diffitetur S. Scriptura, ut Jes. IIX. XI. *Sume tibi*
librum grandem & scribe in Stylo hominis: h. Non tantum
 Charactere & literis apud homines usitatis, ut ab omni-
 bus

bus legi ac intelligi possint, quomodo & Chaldæus redidit: *Scribe in ea Scripturam claram*; Sed etiam modo ac Forma scribendi inter homines receptis, seu ut *Sandius παραφράζει*, eo Stylo ac forma, quæ in legitimo judicio publicam habeat autoritatem. Quomodo dicimus *Stylum Publicum*, *Stylum Curiæ*, ita nimirum ut *Oraculum illud*, de quo ibi agitur, *non Divino* solum, *sed etiam humano* *Stylo* omni memoriae mandatur. Ideo & Propheta statim juxta *Stylum Humanum* testes advocat, quorum fidei nulla labes aut levitas obtrudi poterant. *Sanc. Com. in b. l.* Similiter *Avḡp̄m̄or, Rom VI. 19.* *Humanum dico propter infirmitatem Carnis vestræ*, Interprete Syro, *sicut inter homines loquer*, propter infirmitatem &c. seu *Hominum more*, ut ad vestrum Captum me demittam. *Corn. à Lap. in b. l.* Exemplis non opus est producendis, quæ magno numero inveniuntur apud *Glasium Phil. Sacr. L. I. Tr. III. S. II. & III. &c.* Et in primis *Alsted. Encyclop. Bibl. L. XXXIV. f. 216. & seqq.* adductis non tantum Tropis eorumque affectionibus, & speciebus, sed & Figuris Dictionum ac Sententiarum, tum primariis tom secundariis. Quanquam Secundarias istas Figuras, quas ille aliique Systematum Rheticorum Scriptores ita vocant, non negamus quidem certos loquendi modos esse, distinctis etiam Nominibus appellari ab Artis peritis posse, sed an Figuris proprie annumerari conveniat, prope ambigimus, quia in infinitumducunt, & novis semper Figuris excogitandis occasionem præbent: Unde nec Discentes iis gravando autemamus, quia nimirum in infinitum abeunt, nec commode applicari, nec facile memoria com-

14 CAPUT II. DE ANTHROPO-
prehendi posunt: Quin potius naturæ quid relinquendū autumamus, quæ etiam sine Terminis Artis succurrit.

IV.

Συγκατάβασις illa vero non tantum generaliter in Stylo humano, sed etiam in varietate adeoque modis Styli sese exerit, qui sicut ratione personarum diversus fit, aliive sublimi, alii medio, alii humili dicens genere gaudent, sic DEUS quoque pro Ingenuo, Statu ac Vitæ genere Personarum, quas ministerio suo adhibere dignatus fuit, non uno genere Styli uti amavit. Veluti Iesajas Stylo suo majestatem quandam & gratiam præfert, quippe Regio sanguine cretus: Jeremias simplicitatem, ac facilitatem, qualis est tristium temporum, quibus non licet ornatum verborum aut lepores sectari, sed breviter quod est res est dicere: Ezechiel, Daniel, Viri exquisitoris ingenii visionibus abundant: In Amoso est humile loquendi genus, utpote Pastore & ruborum mora distringente: In Daniele præterea mixtura Chaldaicæ linguae, utpote in Aula vivente, in qua hæc Lingua dominabatur: Quomodo & in Pauli Epistolis verba quædam juxta Phrasin & morem Provinciæ suæ Ciliæ notantur apud Glass. Phil. S. L. I. Tr. IV. S. 4. §. 5. Ita nimirum suus cuique Prophetæ, Apostolo, & quotquot Sacri Scriptores sunt est Genius, suus Spiritus & Stylus apparatus à DEO, qui Dona sua partitur & dividit cuique prout vult, æque ac in humanis etiam suus cuique Philosopho, Oratori, Doctori est, fuitque semper & erit Genius ac Spiritus. Corn. à Lapide Proœm in Proph. Maj. C. IV. f. 16. Sic Heroicus arduum, Comicus lepidum, Lyricus cantileno.

lenosum, Orator maturum, Historicus verum, Satyricus figuratum, Grammaticus regulare, Panegyrista plausibile, Sophista serium, Epigrammista lascivum, Commentator lucidum considerunt, ut Sidonius Apollinaris loquitur *L. IV. Ep. 1.* ad Probum, adducente eodem *Corn. à Lap. c. 1.*

V.

Eodem referetur *Modus loquendi per Parabolas* à S. Scriptura passim adhibitus, tum illustrandi rem propositam, tum Auditores excitandi & ex similibus similia colligendi gratia. *Aperiam per parabolas Os meum, erubabo occulta à jacto mundi fundamento.* Psalm. LXXIIX. 1. Exempla sunt, Parabolæ Arborum *Jud. IX. 8.* Spinæ. *II. Reg. XIV. 9.* Vineæ degenerantis *Ies. V. 1.* Meritricum *Ezech. XXIII. 2.* Agricolæ fermentem facientis. *Matth. XIV. 3.* Zizaniorum ab hoste sparsorum *ib. v. 24.* Graminis Sinapi *v. 31.* Thesauri in Agro absconditi *v. 43.* Perlæ. *v. 46.* Sagenæ *v. 47.* Nam & inter homines usitatum est hujusmodi loquendi generibus se mutuo instruere: Quales Fabulæ Æsopi, quibus ille, *tanguam ii qui vilioribus cibis pulchre convivas excipiunt, ex rebus parvis magna quedam intelligi facit & fabuloſo ſermone proposito eo ipſo quid agendum fit, aut non agendum ostendit,* ut Apollonius Thyanæus de eo judicavit ap. *Philoſtr. L. V. c. 5.* Et Lutherus: Man findet darin unter schlechten Fabeln die allerfeineste Lehre/ Warnung und Unterricht/ wer sie zugebrauchen weiß/ wie man sich im Haushalten in und gegen der Obrigkeit schicken solle/ auf daß man flüglich und friedlich unter den bösen Leuten in der falschen argen Welt leben möge. *T. V. Jenen. f. 285.* At vani sunt, qui in corticibus hisce harent, medullæ

CAP. II. DE ANTHROPO-
 dullæ latentis cura haut affecti, de his enim valet,
 quod Servator dixit Matth. XIII. 13. *Per parabolas lo-
 quor illis, quia videntes non vident & audientes non au-
 diunt, nec intelligunt.* Nempe non idonei Auditores,
 qui non interno animi motu veniunt, sed novationis
 avidi sunt, ut Athenienses. *Act. XVII. 21.*

VI.

Sed duo extrema præcipue indicanda sunt, inter
 quæ medium teneri maxime opus est : Alterum eo-
 rum, qui Stylum Humanum in S. Scriptura quidem
 agnoscunt, sed defectibus unà humanis obnoxium,
 quam ideo & secundum Opinionem Vulgi tæpe loqui vo-
 lunt. Alterum istorum, qui S. Scripturam omnia tan-
 tum non ἀληγορίζειν, & per similitudinem loqui, adeo-
 que Stylo humano longe subtilius quid continere
 opinantur, ipsasque Historias Sacras ideo non Stylo
 inter Homines recepto, sed sensu mere Allegorico
 scriptas esse autumant. Prioris defectu, poste-
 riores excessu laborare dixeris. De ambobus seor-
 sim videndum.

VII.

Itaque Scripturam qui secundum opinionem vulgi lo-
 qui prætendunt, hoc volunt : *S. Scripturam in rebus
 fidei quidem Authenticam & ἀξιόπιστον esse, at in rebus præ-
 cipue naturalibus se judicio vulgi accommodare, proindeque
 non ex vero, sed quod vulgo ita videatur, adeoque er-
 ronee scribere;* Ex opinione vulgi enim quod est,
 supponit meliorum ignorantiam, eoque non ex vero
 est ; Alias Opinionis vulgi nomine appellari opus
 haut esset, quod enim verum est, non ab Opinionе
 vulgi, sed ex conformitate cum rebus & intellectu
 lucem suam accipit. *Vulgus quicquid laudat vituperio
 dignum*

dignum est, quicquid cogitat vanum, quicquid loquitur falsum, quod improbat bonum est, quod approbat malum & quicquid extollit infame, dixit aliquando Johannes. XXIII. P. M. ap. Balæum *Vit. Pont.* & ex eo *Camerar. Hor. Suc- cis. Cent. I. c. XL.* Proindeque S. Scripturam loqui secundum Opinionem Vulgi tantundem erit, quam non expensis rerum momentis quædam ponere, nec ex rei veritate, sed *erronea* loqui. Hoc sensu Phari-sæi Joh. VIII. 49. *Turba hæc quæ non novit legem maledi- eti sunt*, notâ nimirum ignorantia populi impactâ, quanquam male illo loco. *Sapientes enim dum se vendi- tant, fatui redduntur: Nam dum scire se Legem profitentur, semet ipsos incredulitatis accusant*, inquit *Cyrillus.* Et *Hiob. XXI. 29.* ex versione Lutheri: Redet ihr doch davon wie der gemeine Pöbel / und merket nicht was jener wesen bedeutet. Qui locus tamen communis fe-re contensu Interpretum sic se habet: *Nonne interro- gasti transiuntes per viam, & signa eorum non negasti?* Seu ut Vulgata habet: *Interrogate quemlibet de viatoribus & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.* Calvinum tamen prope hinc abesse videmus: Si nimirum, inquit, natu- ralem sensum sequamur, Jobum hic voluisse signifi- care amicos suos, qui tales videri volebant, & ea specie ad ipsum venerant, si judicium sanum & in- corruptum haberent, talibus ad ipsum calumniis u- suros non fuisse. *Conc. 82. in Hiob f. 368. Add. Petr. Merlin. Comm. in b. l. f. 176.*

VIII.

Sed his opponimus: S. Scripturam esse *Lucernam pedibus nostris & Lumen semitis nostris.* *Pf. CXIX. 104.* Illuminare Oculos nostros *Pf. XIX. 9.* Esse verita- tem *Pf. CXIX. 141.* & Doctrinam perfectam conver-

C

tentem

18 CAPUT II. DE ANTHROPO-
tentem animos Ps. XIX. 8. Perfectum reddere DEI
Hominem H. Tim. III. 17. Et in æternum manere
in cœlo Ps. CXIX. 89. 90. Quæ si ita sunt, jam Erro-
ris omnis, adeoque etiam Opinionum Vulgi exper-
tem esse oportet. *Servilis est, qui opinionem respicit.*
ut quid per illam consecuturus Boni: "Οὐκεν ἔτι ναζαρίν
τῶν πολλῶν δόξαν περὶ τὸ θεὸν υποληπτόν: Non est ergo de
DEO sentiendum juxta plurium Opinionēm, inquit ex Cle-
mente Stoico Clemens Alexandro Strom. L. V. f. 602.
Si enim vel semel erret, jam nihil certi amplius ab
ea promitti potest, cum pari modo in omnibus aliis
errare metuendum sit: Sicut Lucerna fumosa nec o-
culis certam viam ostendere, nec pedibus firmum
gresum polliceri, nec perfectam lucem fundere po-
test, quam crassius ellychnium obscurat. Nec æternum
in cœlo manere dici posset, cum Errores dūrables
non sint, & Sanctuario cœlesti exesse jubeantur non
tantum Canes, sed & qui amant & faciunt menda-
cium. Ap. XXII. 15. Nec juvat partem adversam di-
stinguere *Res Fidei, & Res Naturales*, In illis tanquam
scopo suo præcipue occupari, at in naturalibus utpote
extra scopum suum sitis Vulgi opinionem innoxie-
exhibere posse: Nam si in naturalibus errare depre-
henderetur, cum illa passim obvia sint, quanto ma-
jor metus foret eam in spiritualibus quoque tanquam
abstrusioribus erroribus non carituram. Possetq; hic
dici mutatis paulisper verbis, quod Christus Nico-
demo dixit Joh. III, 11. *Si Terrena dixi vobis & non*
creditis, quomodo si dixerō vobis Cœlestia, credetis? Si ni-
mirum Terrena quæ dicit credibilia non sunt, quo-
modo quando Cœlestiadicit, credentur. Dicimusque
proinde *S. Scripturam, seu de Spiritualibus & Moralibus,*
seu

seu de Naturalibus agat, semper vera & vere, nunquam falsa loqui. Ac de naturalibus quidem plene haut agere, h. nec in causis suis ea, nec omnia, quæ de iis dici possunt exhibere, quia id extra scopum ejus situm est, at nunquam aliquid proferre, quod naturæ eorum non conveniens adeoque verum non sit. Ac Interpretes quidem quod vere dictum est à S. Scriptura, secundum opinionem Vulgi sæpe exponere non negamus; Sed id S. Scripturæ non magis imputari potest, quam si Minister Mandata Principis perverse proferat, aut Amanuensis, quod bene scriptum est, ex ingenio suo mutet aut vitiose describat.

IX.

Argumenta, quæ in contrarium adduci solent, hæc fere sunt (I.) *Lunam vocari Luminare magnum.* Gen. I. 16. *Cum non tantum inter Stellas minima sit, sed etiam constet longe minorem esse ipsamē Terra;* Adeoque non magnum, se parvum *Luminare esse, Vulgo vero magnum videri.* Relp. I. Lunam non eo minus magnam manere, licet minor Terra sit, habereque se cum magnitudine ut cum Generibus subalternis, quæ respectu Superioris Generis quidem Species, sed respectu inferiorum & subordinatorum Individuorum Genera manent. Luna igitur licet respectu Solis aut Terræ minor sit, quomodo etiam eodem loco Gen. I. *Luminare minus dicitur,* non eo minus tamen respectu partium Terræ aut hominum Lunam aspiciens magna manet. II. Non simpliciter magnam dici, sed magnum *Luminare,* quod respectu Orbis Terræ ejusque Incolarum revera est, omnibus Stellis, quantæ quantæ illæ sint, post Solem potior: Cumque S. Scriptura nobis Terræ hujus Incolis data sit, quidni

C 2

etiam

CAPUT II. DE ANTHROPO-
 etiam de iis quæ respectu nostri ita se habent, intelligatur? Ambrosius rem accurate tetigit: *Magnum lumen dici non tam aliorum comparatione, quam suo munere, ut est Cœlum magnum & Mare magnum, Hexaem. L. IV. c. 6.* Quomodo & Vircs magnos sæpe dicimus, licet statura exiguos, quia virtute ac meritis se conspicuos reddiderunt.

II. *Solidici Tabernaculum positum Ps. XIX. 5. eum nullum habeat, nec habere possit.* Resp. Sensum paulo aliud hujus loci esse, nec contemnendam Versionem Vulgatam hac in parte, quæ est, non ut communiter accipimus: *Soli posuit tabernaculum in iis: Sed, in Sole posuit tabernaculum suum, quæ & LXX. Interpretum est Versio: Ἐν ἡώ ἡλίῳ ἔθετο Ἰό σκηνωμα αὐτῷ.* Adeoque de Deo potius, quam de Sole accipiendum est. Cum (1.) inter omnia Corpora asperstabilia Sol maxime declareret Majestatem DEI, utpote Fons omnis lucis asperstabilis, neque magis loquendi hæc formula DEO indigna est, quam quando dicitur, *habere tabernaculum suum inter homines de quibus in posterum plura* (2.) Totus Psalmi contextus in Majestatem Divinam directus est, statimque ab initio Cœli dicuntur enarrare gloriam DEI, proindeque in Sole etiam singularem Gloriæ Divinæ enarrationem sitam esse censendum est. (3.) Si etiam legatur *Soli posuit tabernaculum in ipsis*, id tamen nihil incongrui in se habet; Intelligitur enim in Cœlis, seu firmamento Sol positus esse, in quo Metaphorica quidem locutio, Poëtis etiam non ignota, sed non Opinio Vulgi est. Vulgus enim, quam crasse alias erret, Tabernaculum tamen seu domum talem Solis ignorat.

III. *Solem eodem loco dici egredi Tabernaculo suo lœta-*

lætarique, sicut Sponsum procedentem de Thalamo suo, cum
Sol seu moveatur, seu quiescat, non possit dici egredi. Si enim
movetur, perpetuo decurrit, & nullo loco egreditur, si quie-
scit, tanto minus egredi dici potest. Resp. Metaphoricos
loquendi modos hic non negari, Stylo humano prorsus
convenientes: Egredi enim non illa tantum dicimus,
quæ motu proprio in visum nostrum incurrere inci-
piunt, sed & ea quæ fixa sunt, si in notitiam nostram
primo veniunt. Sic receptissimo loquendi genere
ipſi Novatores post inundationes majores colliculos
prodire aut prospicere dicunt, cum nullus eorum
prodeat, sed eodem loco semper moretur, à nobis
vero de novo videri incipiat. Exempla sunt Genes.
IIX. 5. & Ps. CIV. 8. Sicque nec magis carpi meretur,
si Soldicatur lætari ut sponsus, quam profani Scripto-
res, quando Prata ridere dicunt.

IV. Aspidem obturare aurem suam adversus incan-
tatorem Ps. LIIIX. 5. Cum & vanæ sint incantationes, nec
ullius temporis observatione obturatio talis deprehensa sit.
Resp. Fatendum esse hunc locum difficiliorem videri,
cum ipſi Patres non pauci Opinionem Vulgi hac in re
videantur sequi, ut Hieronymus, Augustinus, re-
centesque non pauci, vel certe ex Opinionē Vulgi
id scriptum esse agnoscant: Quomodo & ipse Calvinus
Comm. in h. l. postquam de veteratoria astutia hostium
locutus fuerat, nisi forte, ait, magis placeat, ex commu-
ni Vulgi Errorre locutum esse Davidem. Sed bene se ha-
bet, constabit namque & hic S. Scripturæ sua Veri-
tas, procul Vulgi Opinionē; Nihil aliud enim hoc
loco vult, quam dari casum, quo aspis obturatas aures
habeat, h. non audiat, in furore nempe, seu ubi ir-
ritata fuerit, in quo etiam totus nervus & ratio cum

C 3

Hosti-

Hostibus comparandi consistit, hostes nempe adeo furore abreptos esse, ut non audiant, æque ac aspides & serpentes iratos. Hoc ergo debuisse et respici, non modus ille quem Commentatores adducunt; Is enim omnino ex Opinione Vulgi est, sed qui etiam apud hos tantum invenitur, S. Scripturæ vero ideo non imputandus; Neque etiam Opinione Vulgi constat, Aspidem iratam non audire, sed quotidiana experientia docet non aspides tantum, sed animalia quæq;, immo & homines iratores nec audire, nec videre, adeoque non modo obturatas aures, sed etiam oculos clausos habere. Exempla in iratis canibus, in ferocientibus equis & in primis in feris, lupis, ursis, leonibus iratis ubivis obvia sunt.

Clausæ sunt Aures in ira, cui procax alter obstruxit.
V. Hiob. XXVI. 14. legi: Tonitru potentiæ ejus quis intelligit. Et tamen naturam Tonitrus invento pulvere Pyrio haut difficulter explicari posse? Resp. I. Hiobium non disserere de Tonitru naturali, sed de summa potentia DEI, argumento à minori ad majus ducto v. 7. 8. & seqq. usque ad 13. Exiguam nimirum esse cognitionis nostræ fupelleatilem de rebus creatis, quibus tandem subjicit: *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus, & cum vix parvam Stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri.* Vel ut Jun. ac Tremell. reddidere. *En istæ sunt partes viarum ejus, sed quantam particulam rei audimus de eo?* Tonitru ergo summæ potentiæ ejus quis intelligat? II. Si etiam de Tonitru naturali capiatur, nihilominus verum est, Tonitru inexplicabile esse, nam licet inventio Pulveris Pyrii aliquid lucis ejus cognitioni videatur addere posse, naturæ Tonitrus declarandæ tamen mini-

minime sufficit; Pulvis Pyrius enim displosus sursum tendit, at Tonitrus maxima vis deorsum agit; Levem ergo similitudinem tantum cum Pulvere Pyrio habet, oppidoque frustra erit, qui ex similitudine quacunque rerum easdem communem naturam habere colliget. Immo longe commodius ex natura Auri Fulminantis Tonitru explicabitur, quoniam id (1.) exiguo calore disploditur (2.) displolum deorsum tendit. (3.) exigua quoque copia ad dispositionem opus habet, cum ad Pulverem Pyrium displodendum, sonumque ex eo edendum, major copia, & præsens ignis requiratur. Sed his etiam instantibus nihilominus potissimum quod in Tonitru observari meretur, inexplicabile manet, si modum, quo fit, locum in quo fit, aut tempus quando fit consideremus.

VI. *Joh. III. 8.* legitur. *Ventus ubi vult spirat & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat; Naturam Venti vero satis notam esse, probeque sciri unde veniat, nempe ex compressione aëris.* R. Verba hæc non de generali causa, sed de Termino à quo & loco unde Ventus oriatur capienda esse, qui in hanc diem usque ignotus mansit, eoque ipso naturam Venti quoque in abdito relinquunt; Nam licet generaliter sciamus, Ventum ex compressione aëris oriri, quam diutamen locum ignoramus, ubi compressio aëris fit, nihil dum certi de Vento scimus. Et Servatorem sic intelligendum esse sequentia arguunt: *Nescis quo vadat, quibus terminus ad quem denotatur tanquam correlatum termini à quo, seu ubi ortus fuerit.*

VII. *Hiob XLI.* *Balænarum robur tum vi, tum astu hominum insuperabile prædicari, cum tamen certum sit immanes-*

manes illas belluas industria hominum nunc non tantum capi, sed & carnes & ossa illarum velut spolia inter Mercatores dividit. Resp. I. Frustra supponi Leviathanem isthoc loco descriptum Balænam esse, cum Crocodilum eo nomine intelligi jam in confessu sit, cuius demonstrationis autor Bochart. in Hierozot. L. V. c. 16. 17. Ubi una ostendit singula, quæ cit. loco Hiobi habentur, naturæ Crocodili congruere, Balænarum minime. Cap. XVIII. insuper adjungit Thalmudicos Leviathanem eodem sensu accipere. II. Si etiam de Balænis ista verba capienda essent, de temporibus Hiobi tamen capi oporteret, quibus artes illæ Balænas capiendi adhuc ignotæ erant. III. Nihilominus remanere hodieque summam difficultatem Animalia hæc capiendi, cum jam percussa non tam facile in potestatem capientium veniant, quin potius fatis suis relinqui oporteat, nec unquam iis nisi mortuis se applicare liceat.

X.

Alterum est, *Sacram Scripturam loqui Allegorice:* Quod negandum quidem non est, nam videmus omnino totas subinde sententias à nativa significatione ad alienam ab ea transferri: Quomodo Paulus ἡ αλληγορεύειν, per Allegoriam dicta vocat, quæ de duobus filiis Abrahæ, eorumque matribus dicuntur, & duo Testamenta indigitari ait Gal. IV. 24. de quo supra jam actum est C. I. §. I. Sed Allegoriam in ea ubique dominari, quod Novatores quidam nostro Patrumque tempore voluerunt, hoc est, Aliud eam prætendere in Verbis & aliud significare in Sensu, ut Hieron. Allegoriam explicat in C. I. ad Galat. id vero est, quod cum Orthodoxis quibuscumque merito negamus, persuasi-

suasi cum Epiphanio, πάντα τὰ θεῖα ρήματα γνῶναι εγόπλας δέ
σθαι, Non omnia Divina dicta indigere Allegoria. Verum
ut posita sunt intelligi debere. Talia sunt Weigeliana,
Behmiana. &c. Theosophorum de Matrice Terræ,
Mundo Interno & Externo, Adamo Viro simul & fœ-
mina, seu Androgyno creato, eodemque partibus na-
turalibus destituto, quique cœlesti prorsus modo
potuisset absque ulla disruptione gignere, De Para-
diso in homine existente, vel etiam parte quadam in
Deitate, Homine ipso Arbore Scientiæ Boni & Ma-
li, eodemque Serpente existente à se ipso decepto,
Lapsu Adami appetitu externi Ignis progenerationis
&c. Plane gemina iis, quæ Gentiles olim jactarunt,
doctrinis suis contineri *Mysteria sancta, rationes miras*
atque altas, nec quas facile quivis possit Ingenii vivacitate
pernoscere, ut Arnobius loquitur *L. V. adv. Gent.* Et
famosus ille *Spinoza*, cum Societas Regia Anglicana,
de Resurrectione & Ascensione Christi in Cœlum
perspicuum Responsum urgeret, non aliud tandem
invenit, quod responderet, quam cuncta Allegorice
capienda esse. Hoc nimirum est, quod Basilius di-
cit eorum esse, qui non admittentes eorum quæ scripta sunt
sensus communes, Aquam non aquam dicunt sed aliam quandam
effusionem, Et pisces pro arbitrio interpretantur, Et repentium
creationem & ferarum ad propria sensa distrahentes expo-
nunt. *Homil. IX. in Hexaem.* Nec differre autuma-
mus à priscis Gentilismi excusationibus Diætorum,
factorumve Deorum suorum, immo iis deteriores di-
centur, cum Gentiles exculpandis turpibus & absur-
dis facinoribus Deorum suorum hujusmodi vela ob-
ducere conati sint; Hi clara & perspicua effata Sacra
talibus fumis obscurare audeant, quibusve proinde

D

oppo-

opponimus. i. in genere, S. Scripturam nobis datam esse
in Ducem viæ ad Salutem æternam obtainendam, eo-
que 2. ut esset Principium certum ac firmum, quod-
que *πληροφορία*, in nobis gigneret. Ac 3. Principium
perspicuum, quod omnes aequi, si velint, intelligere
possint. Ideo & 4. Christum & Apostolos videmus
passim verba ex Prophetis sensu literali citare, ut
Matth. i. v. 23. *Cap. IV.* v. 7. & *II. Cap. V.* v. 21. 28. 31. 38.
Cap. XII. v. 7. *Cap. XXII.* v. 32. 37. 38. 39. *Act. II.* v. 17.
Cap. III. v. 22. & 25. *Cap. VII.* In Oratione Stephani.
Rom. II. v. 6. & *II. Cap. III.* in locis pluribus. 5. Neque
ulla necessitas allegari potest, cur à consueta verbo-
rum ac sententiarum forma seu sensu literali recedi
oporteat, dicique hic omnino meretur, quod Arnob.
Allegoriis Theologiæ Gentilis objicit L. V. ad Gentes.
*Quid enim prohibebat, quid obstabat suis unamquamque rem
verbis & suis significationibus promere? imo quid urgebat,
cum nescio quid indicare per commentarios & scripta voluiset,
nolle illud intelligi, quod indicaret, sed contrarias res simul
una expositione suscipere studium docere cupientis & nolentis o-
stendere malignitatem?* Immo 6. est contra naturam
Styli Historici, quippe cuius est, quod res est, dice-
re, non cui similis sit, missis verborum involucris,
vaneque proinde S. Scripturæ imputant, quod ne
profano quidem Historico tribuere licet, præsertim
cum nullus alias Historicus Vitam antiquissimorum
Hominum, Historiam Creationis mundi, gestaque
Reip. Israeliticæ & Ecclesiæ Veteris tanta facilitate ac
perspicuitate tradat, quam S. Scriptura. Ideo & 7.
ipsorum *Ἄλητον οὐανθεῖσιν* pars Sensu literali se haut
semper carere posse testantur: Nam quæ de Chri-
sti Nativitate, Circumcisione, Itineribus, Miraculis,
Passio-

Passione, Morte, Resurrectione, & Ascensu in Cœlum ab Evangelistis præscripta sunt, eadem & ipsi ut alia quoque exponunt. Aut si quidem Sacra Scriptura ἀληγορέων videatur, jam in omnibus ἀληγορεῖσι, aut dicant hi Novatores, cur in uno potius quam in altero ἀληγορεῖν oporteat? Quod argumentum in primis urget Epiphanius contra Paradisum Allegoricum Origenis, totam nimirum Historiam Creationis, Generationis Hominum, Diluvii fore Allegoricam, si adeo Allegoriis indulgere liceret. *ἀλλὰ μυθὸς λοιπὸν οὐ αληγορεῖται αληγορεῖθη τὰ πάντα. Fabula erit ipsa veritas, & omnia allegorice dicentur.* Anchor. f. 519. 520. 521. Aut denique 8. si singula in singulis ediscerere non possunt, quid Allegoriis obscurant id quod simpliciter scriptum est, & communem ad intelligentiam publicatur. *Eligitis quædam vestræ convenientia voluntati & ex ipsis obtainere contenditis nothas atque adulteras electiones interiori esse superpositas veritati. Quod tamen ut vobis ita sese habere (quemadmodum dicitis) annuamus, qui scitis, aut unde cognoscitis, utra pars sit sententiis historiæ scripta simplicibus, utra vero sit dissonis atque alienis significacionibus tecta? Potest enim fieri, ut quod vos existimatis sic esse, aliter se habeat, aut quod aliter creditis, conceptiōibus aliis contrariisque prolatum sit. Ubi enim dicitur in unius materiæ corpore pars esse Allegorice scripta, indubitabiliter altera sermone rectoque, nec inest in re signum, quo differentia judicari ambiguorum possit, simpliciterque dictorum, tam potest quod simplex est, ambiformiter dictum existimari, quam quod ambigue scriptum est, reclusis esse obtentionibus credi.* Ut iterum loquitur Arnobius c. l. 9. Ista Sensus Allegorici sectatio nihil certi relinquit intellectui humano, verum varietati quam maxime obno-

CAPUT II. DE ANTHROPO-
 obnoxia est, & in infinitum abit, toties enim varia-
 bit sensus, quoties Ingenia luxuriantia voluerint,
 quæ proinde & Basilius Magnus iis comparat, qui
 somnia interpretantur, *Homil. IX. in Hexaem.* Et uti
 iterum Arnobius. c. l. *Potest aliud aliud Argutius fin-*
gerē, & veri cum similitudine suspicari, potest aliud tertius,
potest aliud quartus, atque ut se tulerint Ingeniorum opi-
nantium qualitates, ita singulæ res possunt infinitis inter-
pretationibus explicari. Cum enim è rebus occlusis omnis i-
 sta, quæ dicitur Allegoria sumatur, nec habeat finem certum,
 in quo rei, quæ dicitur, sit fixa atque immota sententia, uni-
 cuique liberum est in id quod velit attrahere lectionem & af-
 firmare id positum, in quod eum sua suspicio & conjectura opi-
 nabilis duxerit. Quod cum ita se habeat, qui potestis res certas
 rebus à dubiis sumere, atque unam adjungere significationem
 dicto, quod per modos videatis innumeros expositionum va-
 rietate deduci? 10. Denique fine caret istud Allego-
 riarum studium, cum nec se ipsas, nec alias res pro-
 bent; Verumque omnino vetus illud Scholaftico-
 rum: *Theologia Symbolica non est argumentativa;* &
Hieronymi in Matth. XIII. Nunquam parabolæ & dubia
ænigmatum intelligentia potest ad autoritatem dogmatum
proficere. Vane objicitur, *DEUM mysteria sua nolle ab*
hominibus sciri & idcirco historias ambagibus esse Al-
legoricis scriptas. Unde enim vobis liquidum, quod ho-
 minibus superi nolunt sua mysteria publicari? Unde illa vos
 scitis, aut cur ea dissolvere in Allegoriarum explanationem
 curatis? inquit idem Arnobius cit. l. Nos addimus,
 esse contra benignitatem DEI, verbum suum pate-
 facere nobis voluisse, & tamen noluisse id intelligi.
 Breviter: *Argutiae sunt ut appareat atque acumina hæc o-*
mnia, quibus fulcire solenne est malas in judiciis causas.

Quin

Quin imo (ut verius dicam) sophisticarum disputationum colorres, non quibus verum, sed imago & species veri semper atque umbra conquiritur. Ut iterum *Arnobius de Allegoriis Gentilium* concludit. Et forte haut frustra erimus, si Mysteriographos hujusmodi Harpocrati veterum assimilaverimus, qui ignorantiam suam obtentu Philosophiæ Silentii se perpetuo tecturum confidebat, sed explosus eade causa & ex Parnasso ejus apud. *Boccal. Cent. I. Rel. 36.* Sic hi dum omnia mysteriosæ cujusdam sapientiæ velo tegunt, ipsi ignorantiam suam producunt, & in eandem alios inducere gestiunt. Studium certe sectandi sensum Mysticum S. Scripturæ etiam apud innoxios efficit, ut in eruendo sensu literali segniores ac tepidi evadant: *Quod bene observatum à Glass. f. 327.*

XI.

Nec tamen etiam probare possumus Dd. Ecclesiæ Romanæ sententiam, qui *Sensum Literalem* quidem retinent, attamen juxta eum *Sensum Allegoricum* simul S. Scripturæ inducunt. Nam licet Allegoriis, quod supra etiam dictum, aliquid dandum sit, sensum tamen peculiarem S. Scripturæ ideo constitueredici non potest. *Sensum enim dicti alicuius illum proprie dicimus, quem verba præ se ferunt, non qui ex comparatione rerum per verba significatarum cum aliis rebus resultat.* Et aliud omnino est, quid verba seu propria seu improoria S. Scripturæ significant indagare, aliud an Res verbis illis significatae alterius adhuc Rei signa sint, dispicere. Prius proprie id est, quod DEUS per Verbum suum nobis præbuit intelligendum & ulterius indagandum, idque *Sensum Literalem* dicimus, cuius Signa sunt Voices;

30 CAPUT II. DE ANTHROPO-
ces; Posterius *Allegoriarum* est & *Sensus* quem vocant
Mystici, cuius signa non sunt *Voces*, sed *Res ipsæ*,
quarumve eadem ratio, quæ aliorum Signorum in-
ter homines ex similitudine quadam aliquid significan-
tium; Quomodo in Historia Jonathæ ac Davidis e-
missio nec repetitio Jaculorum Signi loco erat Davi-
di, quo in statu res ejus essent. *i Sam. XX. 21. 22.*
Sed quorum vis non ex arbitrio nostro, verum ex
autoritate Spiritus S. pendet. Sic Sacrificia V. T. e-
rant Typi futuri Sacrificii Christi, non sensu Alle-
gorico Verborum de Sacrificiis Scriptorum, Hæc e-
nim per se nihil aliud significabant, quam quod de
Sacrificiis faciendis DEUS jussérat; Sed quod res i-
psæ figuram & imaginem Sacrificii Christi contine-
rent, sicut enim hæc offerabantur expiandis peccatis
offerentis, sic Christum aliquando Sacrificio suo ex-
piaturum peccata Humani Generis indicabant. Si-
militer in Historia Jonæ Textus quoad Verba, a-
deoque Sensu Literali agit de Jona ejusque factis,
sed Historia ipsa Mystice præfigurat adeoque signifi-
cat Triduum Mortis Christi, non vi Verborum Hi-
storiæ Jonæ, sed quia DEO placuit hoc Typo fu-
rum Filii sui statum velut in antecesum exhibere.
Et haec tenus etiam in Allegoriarum usum condescen-
dimus non tanquam Sensus cujusdam peculiaris
Verborum S. Scripturæ, sed tanquam Comparationis
Rerum inter se à S. Scriptura factæ: Cuius autori-
tate etiam & applicatione ab ipso Spiritu S. suppedita
nisi oportet, siquidem vim probandi habere de-
bent, extra quam si sit, occasionem quidem præbe-
re possunt ad pias meditationes, non possumus tamen
dicere explicationem talem esse Sensum S. Scriptu-
ræ,


ræ, aut menti Spiritus S. convenire; Eoque nec probant aliquid, sed potius quia arbitrariæ sunt pro solertia tractantium, in infinitum abeunt. Unde & ingentes illi Commentarii in S. Scripturam Dd. Pontificiorum triplo sâpe minores futuri esent, si excursus illi ad sensum, quem vocant Allegoricum aliasve, quos formant, abessent; Ausimusque dicere, si allegorizandi illa consuetudo futuris seculis continuetur, Commentarios Sacros in infinitum excreturos, cum Allegoria ὡραῖοις θίλην ἀνδρῶν Viris perspicacibus amica sit, ut Philo Judæus loquitur de Plantat. Noe f. 219., eoque sicut cogitandi, ita res inter se comparandi nullus finis existat. Abusum certe hujus rei jam ante duo secula videre fuit, quo allegorizandi genus missis sacrâs ad ipsas profanas Historias & fabulas singularibus libris transmissum fuit, quales: *Æsopus Moralizatus*, & *Gesta Romanorum*, quibus quicquid actum, aut factum olim fuit, ociosi homines Allegoriis locupletare & in usum Christianum traducere conati fuere, quo nihil nugacius.

XII.

Coronidis loco stabit, ut dum toties ac tot actionibus DEUM ad Nos se demissæ humanoque more nobiscum egisse vidimus, ut consuleret infirmitati nostræ, reciproco officio ad ipsum ascendere, divinoque more vivere studeamus, seu, ut Augustinus de Anthropomorphia Homeri scribit: *Fingebat hæc Homerus & Humana ad hos transferebat, mallem divina ad Nos*, Confess. I. 16. Id lex Gratiae referendæ exigit, DEUS ipse jubet; *Estatote Sancti, quia ego sanctus sum*. Lev. XI. 14. XIX. 2. 1 Pet. I. 16. Paulus continuat: *Servi facti DEO habetis fructum vestrum in sanctificati-*

32 CAP. II. DE ANTHROP. STYLI S.

Etificationem. Rom. VI. 22. Quibusve proinde semper
in ore sit, quod optimus Vir Mollerus alludendo ad
Αὐτὸν πονάθειαν orat. Du bist mein GODDE ein geist-
liches wesen &c. und hast nicht Gliedmaßen / wie ein
Mensch / sondern deine rechte Hand ist nichts anders /
dann deine Allmächtige Krafft : Deine schnelle Füße
sein nichts anders / dann dein Allmächtige Gegenwär-
tigkeit an allen Ohrten : Deine Augen sind dein we-
sentlicher Glanz und Klarheit ; Und deine Ohren
sein deine Allwissende Weisheit. Hilff HERR du
Ewiges Geistliches wesen / daß ich dich allzeit im Geist
und Wahrheit anrufse / du bist mein heiliges wesen /
und sprichst / Ihr sollt heilig sein dann ich bin heilig ;
Ei so heilige mich auch / daß ich dir mit
reinem Herzen diene / und allezeit hei-
lige Hände zu dir aufhebe.



Coll. diss. A. 7, misc. 56